



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 4. Nonnulla corollaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

requisitas vt dispositiones ad formam conseruationem, & aduenire oppositas sufficientes expellere alias, quæ erant conditiones ad motum, & non sufficientes expellere requisitas & sufficientes ad permanentiam formæ antiquæ, cur non percipiet posse deficere qualitates requisitas, vt possit permanere principium actuum motus deorsum, & adhuc permanere requisitas vt possit permanere forma antiqua, & aduenisse qualitates sufficientes, vt sint principium motus sursum, & vt expellant alias, quæ requirebantur, vt mouerent corpus deorsum, & non aduenisse qualitates sufficientes, vt ultimo disponant ad aliam formam, & vt expellant qualitates quæ sufficienter ad antiquam disponunt. Resp. ergo in latitudine qualitatum, quibus hæc forma substantialis, v.g. forma aquæ potest conseruari, repetiri quoddam aggregatum qualitatum, quod quædam deorsum mouet, & dicitur grauitas, & aliud quod eandem sursum fert, & leuitas dicitur. Neque inde inferas aquam ex natura sua æquæ esse indifferentem ad grauitatem, & leuitatem, quia aqua ex se petit illud aggregatum qualitatum ex vi cuius deorsum descenderet, & hac ratione ex se grauis dicitur, illud autem ex vi cuius ascenderet, non petit, sed tantum poterit cum illo compati, & sub illo, etsi cum aliqua violentia, sicut ex ista forma aquæ cum calore illi violento. Quomodo verò grauitas, & leuitas sint passio forme dicam postea.

24 Obiicies vltimò ex eodem Arriag. in viuientibus virtus locomotiva non distinguitur ab ipsa anima: ergo in non viuientibus, grauitas & leuitas, quæ sunt virtutes motiue ab illorum formis distinguende non sunt. Respondeo virtutem locomotiuam viuientium, quæ se progressiue mouet, non posse identificari cum primis qualitativis, quia motus procedens à virtute locomotiva viuētis subditus est actibus appetitus rationalis in homine, & appetitus sensitiui in brutis; motus autem procedens à quatuor qualitativis non subditur alicui actui elicito, neque grauitas, & leuitas obedit appetitus imperio, & ita necessum est dari virtutem locomotiuam in viuientibus distinctam à primis qualitativis quam dicimus identificari cum ipsa viuētis forma, seu cum ipsa anima. In non viuientibus autem grauitas, & leuitas possunt identificari cum primis qualitativis, & ita necessum non est has esse identificatas cum anima. Mitto rationes omnes, quibus probauimus grauitatem, & leuitatem distinguui à formis corporum grauium, & leuium à quibus optima fumetur disparitatis ratio ad nostram conclusionem defendendam.

§. IV.

Nonnulla corollaria.

25 Ex his inferitur grauitatem, & leui arem esse virtutes quasdam locomotiuas compactas ex conuento diuersarum qualitatum primarum, ex quibus fit vnum aggregatum per accidens, quod est principium effectuum, quod grauitati, & leuitati tribuimus. Effectus isti sunt motus sursum, atque deorsum, hic grauitati, ille leuitati competit. Præter hos effectus, qui primario grauitati, & leuitati cōpetunt, est alius qui potest dici secundarius respectu eorundem virtutum, videlicet impulsus productus in corpore replente spatium, per quod dirigendus est motus, corpus enim graue propria grauitate non solum se ipsum mouet, sed etiam impulsum imprimi corpori occupanti spatium, per quod suum intendit dirigere motum, vt relinquit spatium, quo non relictò, non mouetur corpus graue retardatum corpore occupante spatium motu acquirendum, quia graue mobile non potest se penetrare cum alio corpore, ac proinde neque moueri propria grauitate per spatium, à quo non pellit aliud corpus occupans tale spatium. Impulsus iste impressus corpori, vt spatium relinquit corpori graui intendenti se per illud moueri, dicitur effectus secundarius non quia immediate ab ipsa grauitate non procedat, neque quia supponat primarium effectum eo modo, quo expulsio formæ, quæ dicitur secundarius effectus, supponit informationem, seu totum constitutum tanquam effectum primarium, sæpe enim producit iste impulsus in corpore contiguo, quem secundarium effectum vocamus, & non producit motus corporis grauis, quem dicimus esse primarium effectum, vt patet in lapide immoto, qui

impulsus imprimi corpori supra quod est positus, sed dicitur secundarius, quia corpus graue quasi ex intensione se mouendi impulsus imprimi corpori occupanti spatium, per quod intendit se mouere, quod ex eo constat, quod non imprimi similem impulsus corporibus lateralibus, neque à parte superiori illi impossibilis, etiam si illis sit applicatum, sed tantum corpori quod impedit illius motum replendo spatium, per quod ex vi grauitatis motus intenditur.

26 Inferitur secundò: Corporibus aliquando inesse grauitatem innatam, & iuxta propriam ipsarum exigentiam aliquando aduentitiam, & violentam eo modo, quo calor violentus aquæ, quæ ab extrinseco calefit. Grauitas, & leuitas innata erit illa, quæ consistit in aggregato qualitatum, quas exigit natura corporis, quod graue dicitur, & violenta erit illa, quæ consistit in aggregato qualitatum, quarum aliquæ corpori quod dicitur graue violentæ sunt. (Idem de leuitate in omnibus intellige.) Grauitas innata passio poterit dici corporis grauis, eo modo quo dicitur passio temperamentum qualitatum, quod disponit ad formam substantialem, rectè enim eadem primæ qualitates possunt dici dispositiones ad formam substantialem, & passiones eiusdem, omnes enim asserunt calorem esse passionem formæ ignis, & dispositionem ad eandem formam. Grauitas aduentitia aut violenta nunquam dicitur passio corporis, quod dicitur graue, quia de ratione passionis est esse quid innatum & connaturale subiecto, cuius dicitur passio. Neque grauitas, aut leuitas dici possunt aliquando dispositio ad formam, nisi valde materialiter sumatur: grauitas enim dicit aggregatum qualitatum quatenus potens producere motum localem, & impulsus, sub qua ratione formaliter non disponit, sed quatenus subiectum informat, ita vt si ab illo aggregato mente præscindas totam rationem principij actiui motus, ex vi cuius dicitur grauitas, adhuc remanebit tota formalis ratio dispositionis ad aliam formam, ad quam tantum materialiter primo modo dicendi per se tanquam quid identificatum cum eisdem qualitativis spectat ea virtus productiua motus, & impulsus identificata cum qualitativis, quæ disponunt.

27 Infero etiam contra Arriag. subiect. 2. n. 89. & alios plurimos, grauitatem, & leuitatem non esse prædicata respectiua, ita vt corpus, quod respectu vnus graue est, respectu alius leue sit, vt vulgo dicitur de aqua, quæ à multis appellatur grauis respectu aeris, & leuis respectu terræ, & sic fertur de aère respectu aquæ, & ignis, qui respectu huius grauis dicitur, & leuis respectu illius. Aqua enim absolute est grauis, & respectu nullius leuis dici potest, sed minus grauis, & aër absolute est leuis, & respectu ignis dici nequit grauis, sed minus leuis. Rationem accipe: graue est illud, quod ex sua natura tendit deorsum, & leue quod tendit sursum, aqua autem ex natura sua idem centrum habet cum terra, neque ex se petit esse super terram, neque naturaliter ascendit, vt sit supra illam, sed quia terra grauior est, ascendit, & sub aqua constituitur, & cogit aquam sursum ascendere motu violento, vt locum præster terræ, quæ maiori grauitati, & fortiori impetu petit approximationem cum centro. Huius doctrinæ fundamentum esto, aquam vbiicumque super terram ponatur grauitate, & impulsus imprimere, vt deorsum descendat, ex vi cuius, si terra mobilis sit, & non nimis firma impulsu impresso ab aqua illi superposita deprimetur. Eadem ratione philosophandum puto de aère & igne, quibus idem centrum leuitatis assigno, in quo tendit vtrumque elementum, cui propius accedit ignis, quia leuior; & aër sub igne continetur, eo modo, quo aqua super terram, quia igne cogitur non magis ad centrum accedere, vt supersit locus centro vicinior igni leuiori, & ita dum descendit aër, vt ascendat ignis, ille aeris descensus violentus est aëri, sicuti violentus est ascensus aquæ, vt descendat terra. Hæc de grauitate & leuitate, & de tota elementorum materia dixisse sufficiat ne in re leui grauiorem, quam par est, disputationem instituiamus. Qui quæstiones alias desideret, quæ plus volupratis, quam vtilitatis habent, adeat Conimbr. Patres, qui illas concinnè, eleganter, & eruditè vt assolent definiunt, Petrum Garciam, & Ludouicum Mercatum locis sæpè in hac Controu. citatis, qui omnia quæ ad elementa pertinent ad fatietatem vsque scripsere.

